Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Dissertatio Inauguralis Iuris Publici De Coexercitio, Sive Simultaneo Utriusque Romano-Catholicae Ac Evangelicae Religionis Exercitio Licito Ac Illicito

Schweder, Gabriel
Burgermeister von Deizisau, Gabriel Franz

Tubingae, 1727

VD18 11378891

Thesis VIII.

urn:nbn:de:bsz:31-130851

Visual Library

Territorio Templum vel Sacellum pro Sacris suis habuerint, modo subditis suis Evangelicis suæ Religionis Evangelicæ Exercitium, quo Anno 1618. vel 1624. gavisi, salvum & illibatum relinquat, immo posse ipsum etiam suæ Religionis Romano-Catholicæ Coëxercitium subditis suis Romano-Catholicis in Templis Aug. Confess. addictorum propriis concedere, utut illud Anno 1618. vel 1624. ibi haud habuerint, modo Aug. Confess. addicti cultum suum integrum retineant, horarum intervallis distinctum sine alterius partis turbatione. Gothofr. Ferdin. de Buckisch ad Instrum. Pacis Westphal. *Art. V.* §. *31. Obs. 88.* Christian. Rittmeyerus *in Vindiciis Juris Reformandi Cap. 1. & seqq.*

Thesis VIII.

Pro Sententiæ suæ Fundamento allegant, Pace Religiosa Anno 1555. conclusâ minime Domino Territorii Jus introducendi Exercitium simultaneum denegatum, sed potius permissum, ut videre liceat ex R. J. *de Anno 1555.* §. **und damit solcher Fried** ꝛc. *15. & seq.* **Nachdem aber** ꝛc. *16.* nec non Reinckingio *de R. S. & E. Lib. I. Cl. V. Cap. IV. n. 27.* aliisque Juris Publici Doctoribus magno numero allegatis à Vito Breitschwerd *in Consilio Immediato Ordini Equestri impertito à num. 12. usque ad num. 15. in Decis. Qu. I.* Pacem autem Religiosam Instrumento Pacis Westphalicæ haud sublatam, sed potius expressè confirmatam *Art. V.* §. *1.* Interpretationem vero §. *Hoc tamen non obstante &c. 31.* adhuc incertam & dubiam esse, num per illam tantum novorum Templorum exstructio permissa, an vero etiam Coëxercitium in veteribus simul concessum sit, unde ergò merito Juri primæ-

primævo & antiquo in Pace Religiosa clare constituto & ante Instrumentum Pacis Westphalicæ observato tamdiu inhærendum, donec utraque Pars juxta tenorem Instrumenti Pacis *Art. V.* §. *50.* de vero sensu §. *31.* per dextram Interpretationem in Comitiis conveniat.

Thesis IX.

Ast multa hic ut vera præsupponuntur, quæ falsa aut admodum dubia adhuc sunt; Præsupponitur Pace Religiosa Simultaneum seu Coëxercitium generaliter permissum esse, quod omnino falsum est, nec nisi ad Calendas Græcas, i. e. nunquam *ex allegatis* §§. probari poterit. Pacem Religiosam Tabulis Pacis Westphal. confirmatam, multisque in casibus & articulis pro ratione circumstantiarum & rerum exigentia declaratam omnino agnoscimus, hancque dictæ Pacis Religiosæ Declarationem Pace Westphalica factam non minus ac ipsam Pacem Religiosam pro perpetua norma & regula observandam (non attenta cujusvis seu Ecclesiastici, seu Politici, intra vel extra Imperium, quocunque tempore interposita contradictione vel protestatione, ac severe sub pœna fractæ Pacis Publicæ prohibita quacunque contraventione) vult saluberrimum hoc Imperii Palladium, & Sanctio illius Pragmatica æternum valitura.

Thesis X.

Quocirca cum I. clare in Sacratissimæ hujus Pacis Westphal. *Art. V.* §. *Hoc tamen non obstante. 31.* constitutum sancitumque sit, ut Statuum Catholicorum subditi, qui Anno 1618. vel 1624. publicum sive privatum Aug. Confess. Exercitium habuerunt, id etiam in poste-